



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

**Parisiis, 1644**

LXXXII. De his qui vsque ad finem vitae in peccatis perdurant, & in exitu  
communione accipiunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15324**

32. q. 7. Si  
quis fuerit.  
Burg. lib. 9.  
cap. 63.  
Iuo part. 8.  
199. cx  
Conc. Neo-  
cxl. c. 3.

Si quis multis nuptiis fuerit copulatus, pœnitentiam agat: conuersatio autem & fides pœnitentis compendiat tempus.

## LXXXI.

Si quis ante viginti annos in cuiuslibet animalis commistionem peccauerit, quindecim annis in humilitate subiaceat ad ecclesiæ ianuam; & post hos aliis quinque annis in orationis tantum communionem receptus, pœnitentiam agat, & sic gratiam sacramenti suscipiat. Interrogentur autem alii de eo, qualem vitam in pœnitentia egerit: & sic communionis misericordiam consequatur. Si quis autem post viginti annos habens vxorem huic peccato inruerit, viginti quinque annos \* humilitate subiaceat, & quinque annis orationibus tantum communicans, postea recipiat sacramentum. Quod si & hanc mensuram aliquis transgressus fuerit, sacramentum \* in exitu consequatur: oportet enim tales inter dæmoniosos ordinare.

\*f. in ho-  
militate.  
af. humi-  
litati

\* nec in  
exitu

## LXXXII.

26. q. 6. Si  
quis de cor-  
pore.

Si quis de corpore exiens nouissimum & necessarium communionis viaticum expetit, non ei denegetur. Quod si in desperatione positus, post perceptam communionem iterum sanus fuerit factus, tantum \* orationis particeps sit: \* nam non accipiat sacramentum, donec constitutum pœnitentiæ impleat tempus. Qui ergo in exitu mortis sunt, & desiderant accipere sacramentum, cum consideratione & probatione episcopi accipere \* debeant.

\* oratio-  
ne  
\* sacra-  
mentum  
veto non  
accipiat,

\* de-  
bent.